



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 74. Cuneri Petri mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. A.C. 1580. Confessio fidei Catholicæ confirmata testimoniis sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum, qui primis duobus Ecclesiæ sæculis floruerunt: hoc opus vivente adhuc Auctore anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo octavo editum, atque in quatuor libros divisum exstat, in quorum primo Auctor agit de veneratione, & cultu Angelorum, & Sanctorum, in secundo autem de homine, divinaque providentia erga illum, & de Prædeterminatione, ac justificatione. In tertio differit de Sacramentis in genere, & in specie, ac denique in quarto de ultimo fine hominis.

§. LXXIV.

Cuneri Petri mors.

*Bajana inter
opera Baji
p. 208.
Miræus de
Script. sæ-
culi XVI.
Havensius de
erec. nov.
Episc. Belg.*

Tertius erat Cunerus Petri Duivindiciæ quodam Zelandiæ oppido natus, qui Lovanii percurso literarum studio ibidem Doctoratus honore insignis evadebat, & primus Leowardiæ in Frisia Occidentali Episcopus seligebatur, hujusque Ecclesiæ possessionem die septima Februarii anno post Christi Nativitatem millesimo quingentesimo septuagesimo accipiens die vigesima quinta Aprilis Synodum celebrabat, Leowardiensi autem urbe paulo post a Calvinistis capta ipse in Harlingana arce in-

Sæcul XVI.
A.C. 1580.

inclusus tamdiu in carcere tabescere contactus fuit, donec ad Monasteriensem urbem contendere juberetur, ut in hujus Principis locum aliquamdiu Co-Episcopi munus obiret: inde vero postea Coloniam pervenit, ubi sacras literas publice tradens tandem die decima quinta Februarii anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo nonnisi quadraginta novem circiter annos natus extremum diem clausit. Scripsit varios tractatus, atque illi, qui anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono Coloniensibus literis exculi prodire, sunt sequentes I. De Sacrificio Missæ. II. De concordia meritum Christi Domini cum Sanctorum meritis. III. De quæstionibus Pastoralibus, & de cælibatu Sacerdotum. IV. De notis, ex quibus veram, & legitimam Christi Ecclesiam dignoscere licet. V. De Officio Christiani Principis. VI. De gratia, libero arbitrio, Prædestinatione, justificatione, indulgentiis, & de firmitate Cathedræ Divi Petri: existat insuper aliud hujus Auctoris scriptum in propositiones, quæ in Pii V. Bulla contra Bajum continentur, præterea quædam opuscula Flandrico idiomate edidit contra Anabaptistas: Denique ut Synodi suæ statuta taceamus,

Sæcul.XVI. mus, inter alia reliquit tractatum de
 A.C.1580. obedientia Principibus Christianis de-
 bita.

§, LXXV.

Georgii Ederi fata.

*Dn pin. p. 4.
 pag. 416.*

Quarto loco recensendus est Georgius Eder, qui hoc anno defunctus creditur. Is erat in Germania celebris Jurisconsultus Frisingæ natus, ac trium Imperatorum Ferdinandi I. Maximiliani II, & Rudolphi II. Consiliarius, de quo tamen nil memoratu dignum ad nos fuit transmissum, nisi quod quædam illius opera variis temporibus Colonizæ, Dilingæ, Viennæ in Austria, & alibi impressa prodierint, inter quæ celebrantur I. *illius partitiones Theologicae, seu Oeconomia Sacræ Scripturæ* in quatuor libros divisa II. *Partitiones Catechismi Concilii Tridentini.* III. *Hæreticorum malleus.* IV. *Babylonia hæreticorum, seu summa fabularum hæreticarum.* V. *Sermo de fide Catholica.* VI. *Disquisitio Evangelica inter veram, & falsam doctrinam.* VII. *Historia Rectorum, & illustrium Virorum, qui Viennæ in Austria ab anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo usque ad annum Christi millesimum quingentesimum quinquagesimum nonum in hac Universitate floruerunt.*

§. LXXVI.